

D E F U N C T I

P. Aloisius Fernández y Fernández de Retana  
(1884-1957)

(*Prov. Hispanicae*)



Huius egregii confratris memoriam ab oblivione futura redimere intendimus, tum ob illius merita ac religiosas virtutes, tum etiam ut votis respondeamus confratrum, qui Bibliographiae Alfonsianae vigiles custodes expostularunt hanc notitiam necrologiam. Illam paucis ac seris verbis perstrin-gimus, speciatim quoad externum vitae car-dinem, *Analectis* minus consentaneum (1).

Natus erat P. Retana die 9 ian. an. 1884 in oppidulo Navarrete, provinciae Logroño, fere intra septentrionalis Hispaniae plagas.

Attamen adhuc parvulus Matritum se contulit cum patre suo, medicinae exer-cendae addicto (2). Praemature dilectissima matre orbatus, subire mox debuit sueta novercharum vexamina. Ex quibus tandem sese eripuit opifulante B.M.V. de Perpetuo Succursu, atque an. 1896 exceptus fuit in nostro Iuvenatu Spi-nensi, ubi sex annos studiis alacriter vacavit, superatis hinc inde contra voca-tionem quibusdam procellis.

(1) Cfr. PÉREZ LUCAS, *Necrologia del R. P. Luis Fernández y Fernández de Retana*. Madrid, Graficas Ibérica, 40 p. — P. Lucas Pérez, eo tempore Superior Provincialis, in Iuvenatum Spinensem puerulus adductus fuit a P. Retana missio-nario. Ad diluendam « logomachiam », quae pro multis gignitur ex Patris Retana cognominibus, subdimus hanc adnotationem. Cognomen primum seu Fernández pertinet ad suum patrem; cognomen alterum seu Fernández de Retana, ad suam matrem. Ex rationibus vero practicis nuncupabatur apud nos simpliciter P. Retana.

(2) In Catalogis Provinciae et Congregationis P. Retana inscribitur natus in urbe Madrid. Imo, hoc idem legitur in syngrapho (*passaporto*). Quod ita voluit ipse P. Retana.

Anno probationis laudabiliter Navae Regis acto, vota religiosa die 8 sept. an. 1903 emisit atque studiorum superiorum curriculum Asturicae proséquutus est, donec die 10 ian. an. 1909 ad dignitatem sacerdotalem concendit. Interea, quin a seriis studiis detraheret quidquam, foras ipse prompserat suam indolem « polyfaceticam », qualem deinceps ubique ostendit ac perpolivit, nempe: vere aptam colendis disciplinis litterariis atque historicis; patris quoque haereditariam quoad scientias medicas ac physicas; roboratam solertia hand communi erga picturam artesque manuales; coronatam denique ingenio vivaci ac faceto, rerum vim comicam praeodorante eamque subitanee conclamante vocabulis potenter ab eo recusis ac « plasticis » dicendi modis. Cave tamen ne in ipso, et quidem per totam suam vitam, confundas innatum sensum « humoris » cum serietatis defectu: humor etenim ad iocularia inflexus videbatur, nullimode autem ad nugas scurriles, viro religioso indignas. Ad haec, hilaritatis humore dilucet nitebatur in se atque in aliis atram bilem, quae ad animi depressionem refluit, nisi naviter praecohibetur.

Emenso igitur studiorum intervallo, a Superioribus ante se ille habuit aperatum stadium Iuvenatus Spinensis (pro cursu 1918-1919 etiam Conchensis), ut per decennium 1909-1919 in eo generose contenderet, exceptis nonnullis mensium tractibus, quibus exercitio missionum initiatus est. Munus duplex generaliter obiit: Lectoris nempe humaniorum litterarum ac Socii Directoris; quin etiam, dimisso ob infirmitatem P. Directore, eidem suffectus est an. 1918 P. Retana ad interim per plures menses, donec supervenerunt novae Superiorum designationes, ingruente tunc bello tardiores.

Iure dictus est P. Retana puerorum atque adolescentium educator alfon-sianus intra subordinatas Lectoris ac Socii partes, quae penes ipsum manebarant tanquam Directoris dextrum bracchium atque etiam in minimis collaboratorem. Evidem extra scholarum pensum ac pondus demandabantur Socio, utpote qualitatibus supra indicatis praedito, munia diversa et quandoque disparia; hinc recreationibus ac deambulationibus praeesse, ludos in Iuvenatu classicos recentioresque fovere, semper et ubique sive inter studia sive inter devotionis exercitia vigilem disciplinae agere; hinc etiam, pro Superiorum festis onomasticis aut pro anni scholastici solemnibus, delectare in nostro theatro adstantes fabulis scenicis, quarum pleraque neverunt Patrem Retana auctorem, nunc facetis dialogis comoediisque cachinnos excitantem, nunc cothurnatum vatem drammatiis tragœdiaeve aestu ebullientem (1) necnon pictorem penicillo suo lintea pro

(1) Ex fabulis comicis vel dramaticis, quarum manuscripta prostant in Iuvenatu Spinensi, ubi non semel in scenam prodierunt, citantur praesertim: *Fernán González o la independencia de Castilla*, 1910; *El mártir S. Sebastián*, 1911; *El Lirio*,

fabula agenda depingentem; hinc denique animo et manibus promptissimus fideliter esse, ut tam iuvenistis ac Lectoribus, quam ceteris domus sodalibus adferret opes suas consiliarii, medici, photographi (fere initio huius saeculi), opificis, coqui (!). Et sic porro. Ex quibus industriis manifestationibus nolumus silentio tegere peritiam, qua a primis Spini annis sese devovit ut, recurrente Nativitatis Domini solemnitate, praesepe Bethleemiticum per se ipse disponeret ubicumque hoc festum celebraret, renovato pro singulis occasionibus apparatu pictorio et monumentali.

Declaravimus illum educatorem « alfonsianum », quatenus genuino erga Congregationem eiusque S. Fundatorem amore imbutum. Unde nihil ipse antiquius cordi habuit quam data aut quaesita opportunitate effundere in alumno-rum animos eumdem versus nostram operam missionariam ardorem. Qua donatus erat dicendi facundia atque locutionis vigore, illustrabat Instituti nostri annales et Provinciae res gestas virosque insigniores, bene ratus eiusmodi semina, sparsa in colloquiis, inter lectiones scholares, in deambulationibus aut lectionis spiritualis tempore, germinatura in adolescentium cordibus. Unde contigit quod, vocatus interdum ut cantum doceret alumnos aurium duriorum, eisdem proposuit: « Lectionis horas, ex parte saltem, impendemus addiscendis missionum canticis, quibus aliquandiu Christo animas, Congregationi honorem lucrabimini ».

In hunc missionarium campum translatus fuit an. 1919 P. Retana atque in ipso strenue laboravit usque ad an. 1947, quo historiae ecclesiasticae cathedram Asturicae assumpsit, eidem post triennium valedicturus. Posthac, ultimo vitae septennio, vacavit ministeriis internis necnon suis libris edendis, de quibus statim loquemur. Quartam saeculi partem, a P. Retana in excursionibus missionariis expensam, reperimus quoque signatam praeclara modestia, fructifera efficacia siue non communi abnegatione. Enimvero adscriptus ille successive domibus Asturicae, Santanderii, Matriti, Navae Regis et Vigo maluit vires suas, physice nequaquam valentiores atque infirmitatibus insidiatas, saepe saepius profundere in beneficium oppidolorum pagorumque quam in magnarum urbium subsidium. Hac de causa, iuxta finem Instituti nostri magis specificum, greges animarum prae primis ruri vel supra montes degentium depasti sunt abunde a nostro missionario, cuius ceteroquin character alfonsiana simplicitate dignus, familiaris, conversationis lepore iucundior quadrabat apprime genio ruricolarum, piscatorum, pastorum vel operariorum, quibus ille pro Christo legatione fungens, fiebat obvius in diversis Hispaniae regionibus: ultra-

---

1912; *La tierra del Cid*, 1916; *El Jinete negro*, 1917; *La casa de Tócameerroque*, 1918. Sed alia plurima minoris furfuris composuit atque publice recitanda aut repraesentanda curavit.

que Castella, Gallicia, Aragonia, La Mancha... Post mortem equidem suam reliquit triginta pagellas ministeriales, quibus ad confessiones usus est in triginta dioecesibus, praeter licentias in iurisdictione castrensi ac pro Basilica Pontificia Matritensi.

Abnegatio sui apud nostrum missionarium splendet potissimum ex duplice capite, ex duratione nempe excursionum atque ex adjunctis temporis ac loci in quibus absolvebantur. Numerus equidem incolarum censebatur generatim exiguum: 500, 1000, 1500 pro singulis pagis paroeciisque evangelizandis. Ast missiones cuiusvis excursionis ita catenabantur, ut a medio septembri usque ad medium decembrem, a festo Epiphaniae usque ad Paschatis solemnitatem et ultra, sibi una post alteram ininterruptim de more succederent. Et quidem in adjunctis sat asperis rigidae hiemis, nunc equo per praerupta, nunc curru incommodo; fere semper praedicationis vel confessionum fatigationibus obnoxii cum essent missionarii (duo ordinarie), in ecclesiis ruralibus montanisve gelidis; nec raro deficerent in hospitiis aut domibus, quibus utebantur, plurima ad vitam necessaria.

His aliisque minime obstantibus, P. Retana summam missionum fere 400 explevisse scribitur, eo sane fructu renovationis christianaे apud turmas quem omnes coaevi laudarunt ac mirati sunt. Alium quoque fructum iuvat efferre, videlicet manipulum vocationum quas ex missionis opportunitate suscitare ille conabatur atque in nostrum Iuvenatum vel, si de pueris agebatur, in convenientem Novitiatum provehere. Impraeuentiarum non pauci, ex his pueris a P. Retana missionario delecti, agmina Provinciae Hispanicae honorant ubique; quin etiam, devenerunt alfonsiani imperii nostri fulmina ac populi duces zelantissimi.

Excursus missionarios sociare placuit Patri Retana cum chartusiano calami exercitio. Proinde in conventum ex missionibus redux, a iuvenili aetate didicit tempus sibi sacrum insumere fovendis studiis litterariis atque historicis neconon manualium officiorum oblectamentis, excepto hebdomadarum intervallo quod ex obedientia quotannis dicabat praedicationi exercitiorum spiritualium atque exceptis pariter occupationibus concionum vel confessionum in ecclesiis nostris, quibus tamen non nimis indulgebat.

Huius activitatis litterariae quasi typum atque exemplar praecepsimus collaborationem, quam a iuventa inchoavit et usque ad senectam retinuit in ephe-meride nostra « *El Perpetuo Socorro* »: ubi tractu quadraginta annorum et ultra fuit munera sui explere singulis fere mensibus « sectionem amoena » articulis, fabellis, narrationibus aliisque oblectationis fictionibus; cuncta quidem

ingenii sale adeo condita, ut non semel illius inventiones litterariae ab aliis ephemeridibus recuderentur. Ex ipsis fecit auctor delectum, quem seorsim typis mandavit sub titulo: *Flores sin espinas*, vol. I (1934), vol. II (1945). His adde fabulam (*roman*) longiorem seorsim editam: *Concierto interrumpido* (1943).

Intra genus biographicum accensendi sunt duo libri, quibus posteritati mandavit memoriam duorum confratrum, scilicet: *Aun hay Santos: el H. Santos Caverio* (1935); agitur de Fratre Coadiutore nostro, praepropere vita functo in missione Sinensi; et *Historia de una agonía: Vida del R.P. Darío González* (1935). Huius narrationis heros, primis sacerdotii annis crudeli morbo, peremptus, olim micuerat inter insigniores Patris Retana alumnos. - *El paso de un Apóstol: Vida del López* (1935), est opus magnae molis, sed ineditum, quo describitur effigies moralis atque apostolica Patris Petri López, sacerdotis nempe proceri qui, primus inter hispanos, adhaesit an. 1866 Patri Victorio Loyodice, Vice-Provinciae Fundatori, et qui vexillum alfonsianum extulit supra multas Hispaniae et Americae regiones.

Maioris vero momenti (1) reputantur alia opera, quae nomen auctoris cinxerunt iustis laudibus inter nostrarum historicos. *Fernando III el Santo* (1941, 486 p.); *Cisneros y su Siglo* (1928, 1930, 2 vol., 622 et 558 p.); *Isabel la Católica* (1947, 2 vol., 700 et 710 p.); *Doña Juana de Austria* (1955, Monographia); *Felipe II o España en tiempo de Felipe II* (2 vol., 1000 et 990 p.). Tam ex operum elenco, et praesertim ex eorum pondere atque extensione liquet nostrum scriptorem quam diutissime insudasse, ut exigeret monumenta haec aere perennia, quibus potissimum aeternaret aurei saeculi hispanici gloriosos viros, a Regibus Catholicis Ferdinando atque Isabella usque ad Philippum II, praeente cardinali moraliter giganteo Francisco Ximénez de Cisneros.

Eiusmodi monumenta historica stant in aevum futurum. Reapse noster confrater potius quam archivorum primigenius indagator erat fontium iam editorum potens re-creator, qui donatus ingenii acie perlucida, aequa, at non frigida, iudicii ponderatione atque connaturali styli igne et venustate effingebat rerum, eventuum personarumque synthesim originalem, sub omni aspectu aestimandam, lectu iucundam et documentis opportunis fulcitam. Fortasse, ut saepe accedit, de illius meritis acrius disputabatur intra nostra claustra quam foris. Attamen ecce factum indubium. Librarius editor « Espasa Calpe », penes quem manet *Encyclopedi*a suo nomine divulgata et centum fere voluminibus constans,

(1) Iam an. 1912 prelo dederat opellam: *Compendio de la Literatura Castellana*, post decennium revisam, auctam atque a bibliopola Herder recusam (1923).

pretio dato iura sibi adquisivit publicandi magnum Patris Retana opus super Philippo II. Hanc vero publicationem exsequutus est modo splendido ac quasi regio, adeo ut asserere non vereamur haec duo Patris Retana volumina, propter magnificum ipsorum ornatum typographicum, locum praestantissimum tenere inter opera quae, a condito Instituto nostro, subscripta fuerunt ad umbram Congregationis.

Dum haec aliaque, quae brevitatis gratia omittimus, opera P. Retana indefesse texuit, retextam quoque voluit suae vitae quotidiam telam filo aeternitatis. Nihil magis ab indole et virtute sua alienum quam tumescere ac superbire. Praesertim in recreationibus communibus atque in familiaribus colloquiis substituit usque ad mortem quasi fons inexhaustus atque inexauribilis lepidae hilaritatis. Certe quidem, qua ferebatur propensione ad satyras ac comicitatem, haud semper linguam frenare poterat nec impedire quod vocabulorum iocus mutaretur paulisper in aliorum aculeum, utique ex intentione sua inoffensivum, sed quandoque contra intentionem contumeliosum.

In aliis suis virtutibus religiosis efferendis non est cur immoremur. Colebat paupertatem more antiquo; nec machina scribendi nec calamo stylographicico usus est unquam. Acceptum praemium (1.000 doll.) historiae Philippi II, dum porrexit P. Provinciali, eidem dixit: «Quam bonus est Deus! Quoniam amplius laborare nequeo et ob meas infirmitates onus sum Congregationi, Deus mihi praebuit hanc consolationem, quod medici expensas solvere valeo». Castimoniam fere usque ad scrupulum tueri numquam desiit, etiam inter incommoda senioris aetatis. Flores demum suae devotionis atque amoris in Deum ac B.V. Mariam collegit an. 1953, redeunte aureo suae professionis iubilaeo, in libro qui inscribitur: *Soliloquios de amor y de dolor*.

Post annum suum iubilarem processit versus aeternum bravium lento, at non coercibili passu et gravescentibus corporis languoribus, dum ex opposito mens et voluntas tenaciter invaluerunt ut per se ipse consuleret, fere etiam in mortis lectulo, revidendis ac corrigendis suorum operum foliis e prelo ad eum remissis. Tum denique die 17 aug. an. 1957, renovata professione religiosa ac omnibus Ecclesiae sacramentis quam piissime munitus, in pace Domini sub B.M.V. in caelum Assumptae praesidium quievit, annos natus septuaginta tres, menses septem, dies octo. Ipsius obitus urbi et orbi nuntiatus est a radiodiffusione Matritensi et Nationali.